



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 28. Fanftica, atque ambitiosa Burgundi consilia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Rheni familia descendebat. Favebant Sæcul. XV.
 Cives Colonienses Hassiæ Principi, hunc A.C. 1474.
 que in finem Landgravii ejus fratris au-
 xilia anxie præstolabantur. Nec segnior
 Elector Palatinus opem in armis quæ-
 rens, copias contraxit, ut alterum Ar-
 chiepiscopatus Competitorem Rupertum
 Principem, Filium suum, qui nonnullo-
 rum Canonicorum suffragiis electus erat,
 pro viribus defenderet. Imperator di-
 scussis hinc inde juribus Hermani Has-
 siæ Principis parti sese addixit.

§. XXVIII.

*Fanatica, atque ambitiosa Bur-
gundi Consilia.*

Dux Burgundiæ Cæsaris repulsa, ac
 eorum, a quibus diadema Imperii
 sperabat, cachinis vehementer concita-
 batur; unde in Coloniensium tumultu
 opportunam vindictæ occasionem sibi of-
 ferri existimabat. Ergo nulla mora se
 Ruperto Principi adhærere palam profes-
 sus, Nussiam seu Novesium urbem obsi-
 dione cingit, non tam ut Ruperti jura
 tueretur, quam maxime ut Electoratum
 Coloniensem sibi assereret. Jamjam spe
 sua devoraverat cunctas arces, & oppida
 Rheno imposita, necnon omnes circum-
 circa Coloniâ sitas urbes, Bonnam, No-
 vesium, ceterasque animo tenus substrave-
 rat,

H h 5

rat,

Sæcul. XV. A.C. 1474. rat, easque armorum suorum terrore subactas tamdiu pignoris loco retinere constituit, donec hujus belli sumptus plene sarcitos haberet; harum vero expensarum summam adeo immodicam præfigere intenderat, ut Rupertus Princeps illis solvendis nunquam par esse posset. Postremo demum ambitionis commento sibi promittebat, Coloniensem urbem abs dubio ab exercitu suo tam arte includendam fore, ut brevi ad deditionem compelleretur. His inanibus somniis sibi in animo suo effingebat potentissimam Monarchiam, quæ inter Galliæ atque Germaniæ imperia interjaceret, & a Noviomago in Geldria primo usque ad Ferretanum Comitatum, quem a Sigismundo Austriaco sibi oppignoratam tenebat, ac denique Basileam usque latius procurreret.

§. XXIX.

Induciarum prorogatio ad semestre Gallos inter & Burgundum.

Nil ultra amplissimis Burgundi consiliis obstare videbatur, quam proximus finis induciarum, quas cum Galliarum Rege inierat. Ergo & has ad sex Menses extrahi petit: Cum vero Gallis satis compertum esset, quod Dux pacto cum Anglis foedere Ludovicum XI. aggredi-